

inuigilare. Talis enim vigilans & insomnis dicitur: quandoquidem etiam is, qui noctu precatur, dormire, & qui interdum orat, non vigilare potest. Quomodo? Si anima non ad Deum contendat, si non consideret, cum quo loquatur, aut cum quo ei sit sermo: si secum non reputet, Angelos cum timore & tremore adstare, ipse vero oscitanter & cunctanter procedat. Ac quamuis omnes promiscue Christiani vigilare iubeantur *Marc. XIII, ult. 1. Pet. V, 8.* ac beati praedicentur, quoscunque Dominus vigilantes inuenerit *Luc. XII, 37. Apoc. XVI, 15.* in specie tamen Ecclesiae Pastorum officium est, excubare pro animabus. Vocantur hinc faepissime in sacris *Vigiles* *Ezech. III, 17. cap. XXXIII, 7. Esa. LVI, 10.* ubi in Hebraeo est *הפז* a *הפז* quod significat caute, attente & accurate hinc inde circumspicere ac obseruare, speculari, ubi turmae e. g. irruant hostiles, qui & quales adueniant hostes, num appropinquent auxiliares copiae &c. quod facere solent vigiles in turribus constituti. Vid. *2. Sam. XVIII, 24. seq. cap. XIII, 34. 2. Reg. IX, 17. 20. Mich. VII, 7.* Notandus prae aliis venit locus *Ebr. XIII, 17. Parete gubernatoribus vestris, & obsequimini,* nam ii pro animabus vestris vigilant, ut rationem reddituri, ut id cum laetia faciant, non gementes. Praeclare iterum **CHRYSOSTOMVS** *Homil. III. de sacerdotio, tom. VI. pag. 20.* *Νηφάλιον εἶναι δεῖ τὸν ἱερέα, καὶ διορατικὸν, καὶ μυρῖς πανταχόθεν κεκτῆσθαι τὰς ὀφθαλμοὺς, ἕως ὡς ἑαυτῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ πλήθει ζῶντα ποσέτω.* *Vigilantem oportet esse sacerdotem, eundemque perspicacem, atque innumeros quoquo versus circumferre oculos, utpote non sibi soli, sed tantae uiuentem multitudini.* (c) Vigilent itaque milites Dei, vigilantibus iura scripta sunt. *L. 24. in fin. ff. quae in fraud. cred.* Vigilent, ac non propriae solum salutis curam gerant, sed & to-

(c) Veteres quoque Aegyptii vigilantiam in rerum diuinarum professore quam maxime requirebant, unde per Canis effigiem interpretabantur eundem, quod id omnium maxime meditari oportet, ut canis instar vigilet, assidue latret, hominum vitia nunquam incessere desistat, nullius profani gratiam ineat &c. Vid. **IOHANNIS PIERI VALERIANI** *Hieroglyphic. Lib. V. cap. I. p. m. 57.*